

## Cartulaire de l'abbaye de Gorze, Nr. 92

Adelbero, divine Omnipotentis favente clementia humilis sancte Mettensis ecclesie pontifex. Notum sit omnibus sancte Dei ecclesie filiis et fidelibus, presentibus scilicet et futuris, quod nonnulla que secus iusto erant gesta, et a recto itineris tramite deviarant in nostre dioceseos finibus, quam regendam gratuita Dei bonitate noscimus suscepisse, reperimus monasterium quod Gortia dicitur, in beati apostolorum principis Petri, et egregii gentium doctoris Pauli, necnon et venerandi martiris Gorgonii, non solum humanis auxiliis et rebus destitutum, sed, quod est molto gravius, omni religione privatum; nam venerabilis predecessor meus, domnus Rodgingus, iam dictum monasterium a fundamentis exstruens, rebus magnisque possessionibus adprime ditavit, insuper et monachis qui ibidem, secundum regulam sancti Benedicti viventes, Deo militarent, usquequaque decoravit. Sed temporibus succedentibus, et hominibus in deteriora devolutis, refrigescente iam, secundum Domini verbe, caritate multorum, quod venerabilis memorie pater et pastor prefatus Rodgingus cum tanta devotione studioque stabiliverat, magna iam ex parte more aque labentis defluserat, et residuum quod supererat in ancipiti discrimine pendens, iamiamque occasum vergens, non modice vaccillabat. Sepredictus namque constituit presul ut quicquid ad mensam fratrum pertineret, hoc abbas previderet, absque ullius interdictione, et ipse abbas, sicut regula precipit, per communem electionem ex ipsa esset congregatione; quod si omnem teneret abbatie terram, oporteret ei satellites tenere, cum quibus publice militaret, sin autem nil amplius haberet, nisi quod ad mensam fratrum pertineret, nullum deberet servitium, nisi fratribus ministrare et religionem previdere. Unde nos, tanti viri diligentia et religione perspecta, scientes procul dubio nos ipsius meritis fore participes si bonorum studiorum essemus imitatores, verentes etiam ne illorum qui destitutionis iam dicti loci causa fuerant efficeremus consortes si, dum valebamus, quod nequiter gestum erat non studeremus corrigere, eundem monasterium in quantum ad presens valuimus restruximus, et ea que iniuste ab eo erant ablata restituimus; undique etiam non parvo labore coadunatos viros quos putavimus religiosos, et qui professi sunt celibem se velle ducere vitam, inibi monachos posuimus, et secundum communem ipsorum omnium electionem abbatem benedicentes eis imposuimus, et onde absque ulla cotidiani victus sollicitudine vivere secundum monachorum regulam possent reddentes hoc statuimus, ut nunquam deinceps alium habeant abbatem, presente scilicet quandoque ut Deus decreverit defuncto, nisi quem communis ipsius congregationis elegerit voluntas, ex ipsa videlicet congregatione. Si autem, quod absit! in ipsa defuerit congregatione qui hoc implere valeat, ab ipso episcopo, de alia congregatione monachorum, religiosus et Deum toto corde timens ac diligens assumatur, et eis preponatur, qui eos prudenter sciat regere et in Dei voluntatem viamque dirigere. Hec sunt autem que ad hoc eis restituimus, ut quod prefati sumus strenue implere, et pro bonis devotius ac totius sancte matris ecclesie statu Dei pietatem studeant implorare: in pago Scarponinse, ipsum monasterium in quo ipsi consistunt monachi, et aliud iuxta positum monasterium, in quo prius beatus martyr quievit Gorgonius; in eodem pago villam Noviantum vocatam, cum ecclesiis duabus, unam in honore sancti Martini, aliam in sancti Genesii; in eodem pago villas tres que vocantur ita: Bodulfi villa, Geoni villa, Penna, et quicquid ad ipsas villas pertinet, in ecclesiis, et in terris, et in omnibus aliis rebus, sicut decretum est ab antecessoribus nostris; in villa Domni Stephani ecclesiam I; similiter in pago Salninse, loco qui vocatur Bodesius Vicus, ecclesiam unam que est in honore sancti Mariani, et quicquid ad illam pertinet; item in ipso pago dimidiam ecclesiam in villa que vocatur Bioni curtis, et quicquid ad ipsam medietatem pertinet; in eodem pago,

in villa que vocatur Cuveriacus, ecclesiam unam in honore sancti Martini dicatam, cum mansis duobus; in villa que dicitur Madelini curtis ecclesiam I; in Gaugegio ecclesiam I in honore sancti Andree; super fluvium Mosellam, villam que vocatur Clusererus, et quicquid ad illam aspicit; in pago Wormoncinse capellas III, et mansos XVIII, cum decima indomnicata; in pago Vongencinse villam que vocatur Mons medius, cum ecclesiis VI, et vineis, campis, pratis et omnibus rebus illic pertinentibus; in pago Stadinense villam que vocatur Wasnous, et quicquid ad illam villam pertinet; item in ipso pago villam que vocatur Arva, cum ecclesia in honore sancti Martini; in pago Wavrinse ecclesiam I que dicitur ad Domnom Martinum; in pago Matinse, in villa que vocatur Almaz, ecclesiam unam.

Precamur omnimodis venerabiles successores nostros episcopos ut quod pie devoteque, pro Dei amore omnipotentis, statuimus, inconvulsum inviolatumque manere permittant, sicut sua volunt que iuste decreverint illibata custodiri decreta. Et ut hoc verius credatur quod supra pie intimavimus, et a successoribus nostris diligencius servetur, validioremque obtineat firmitatis vigorem, hoc eis exinde soliditatis testamentum facere iussimus, videlicet per deprecationem abbatis eiusdem loci, Agenoldi, et monachorum ipsius, et per consilium abbatum, et canonicorum nostrorum, et conspalatii nostri, et aliorum nobilium laicorum; ut nullus ex successoribus nostris hoc destruere conetur, manu propria illud firmavimus etiam et manibus canonicorum nostrorum et nobilium laicorum roborari fecimus. Si autem aliquando, auctore totius iniquitatis diabolo instigante, aliquis fuerit qui contra hoc nostre devotionis, pro divine remunerationis obtutu, fideliter peractum decretum venire temptaverit, aut eum infringere conatus fuerit, quia episcopali fungimur officio maledicere quempiam nolumus, sed quod egregius doctor gentium de non diligentibus Deum noscitur esse locutus, quia si acciderit illum qui talia presumpserit, Christi persecutorem qui in omnibus persequitur pro suo nomine pauperibus atque oditorem esse scimus, hoc omnimodis imprecamur ut sit anathema, maranatha, sciat se etiam ante tribunal eterni iudicis, in die tremendi examinis, cum domno et sancto predecessore nostro Rodgingo, episcopo, mecumque, quamvis peccatore, et cum omnibus quos in sepedicto loco adgregavimus Dei fidelibus ex hoc causaturum. Cuonradus, abbas et custos cappelle; Angelrannus abbas, Fredericus abbas; Odelricus decanus; Sigilboddo, custos Sancti Stephani; Waldradus cantor; Teuthardus presbiter; Degericus presbiter; Waldemundus presbiter; Ermenardus presbiter; Dominicus presbiter; Ranulfus presbiter; Richardus presbiter; Riwaldus presbiter; Teutmarus diaconus; Imarus diaconus; Teudoldus diaconus; Girardus diaconus; Ernicho diaconus; Wigiricus subdiaconus; Imarus subdiaconus; Lupus subdiaconus; Folcoinus subdiaconus; Adelardus acolitus; item Wigiricus acolitus; Hamedeus comes palatii; Lanbertus; Haimo; Folmarus; Sigibertus; Sigiricus; Rainerus; Folcoinus; Weneramnus; Albulfus; Rotfridus; Girardus; Walo; Arperdus; Teubertus; Drogo; item Folcoinus; Dagizo; Rotmarus; Reinzo. Ego Everinus cancellarius recognovi et scriptum subscripsi. Actum Mettis, publice, sub die XVII kalendas januarii, anno ab incarnatione domini nostri Jesu Christi DCCCCXXXIII, indictione VI, regni autem gloriosissimi regis Henrici in regno Lothariorum VIII, episcopatus autem domni Adelberonis, qui hoc scriptum fieri iussit, V.